

ciliationem, sicut nec<sup>p</sup> accipimus remissionem peccatorum propter alia opera sequentia. Sed sola fide & quidem fide proprie dicta accipitur remissio peccatorum, quia promissio non potest accipi nisi fide. Est autem fides proprie dicta quae assentitur promissio, de hac fide loquitur scriptura. Et quia accipit remissionem peccatorum, & recōciliat nos Deo, prius hac fide iusti reputamur propter Christum, quā diligimus, ac legem facimus, & si necessario sequitur dilectio. Nec<sup>p</sup> vero hæc fides est ociosa noticia, nec potest stare cum peccato mortali, sed est opus spiritus sancti, quo liberamur a morte, quo eriguntur & vivificantur perterrefactæ mentes. Et quia sola hæc fides accipit remissionem peccatorum, & reddit nos acceptos Deo, & affert spiritum sanctum, rectius vocari gratia gratum faciens poterat, quam effectus sequens, videlicet dilectio. Hactenus satis copiose ostendimus & testimonijs scripturæ, & argumentis ex scriptura sumptis, ut res magis fieret perspicua, q̄ sola fide consequimur remissionem peccatorum propter Christum, & qđ sola fide iustificemur, hoc est, ex iniustis iusti efficiamur, seu regeneremur. Facile autē iudicari potest, quam necessaria sit huius fidei cognitio, quia in hac vna conspicitur Christi officium, hac vna accipimus Christi beneficia, hæc vna affert certam & firmam cōsolationem p̄ijs mentibus. Et oportet in Ecclesia extare doctrinam, ex qua cōcipiant p̄ certam spem salutis. Nam aduersarij infelicititer consulunt hominibus dum iubent dubitare, Vtrum consequamur remissionem peccatorum. Quomodo in morte sustentabunt se isti, qui de hac fide nihil audierunt, qui putant dubitandum esse, Vtrum consequantur